



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt IV. Gallorum alienatio à Simonetta. Varia inter Lotharingum & Gualterium colloquia. Sessio prorogata pro arbitrato, sed cum restrictione, vt certus dies intra dies octo denuntietur. Obitus ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

7 Præmoniti fuerant Præsides<sup>c</sup> de iis, ad quæ exponenda se parabat Ferrerius; nec equidem comperio eam difficultatem in eius oratione permittenda, nec eam ægrimoniam in illa auscultanda, quam Suavis depingit. Solùm<sup>d</sup> scripsit ad Borromæum Vicecomes, admonitos fuisse Legatos, ne huiusmodi morem inducerent; eos verò respondisse, se pollicitos iam fuisse in eo gratificaturos Oratori. Verùm neque necessarium neque decorum existimarunt, nouam illi responsonem reddere nomine Synodi; idcirco qui à secretis erat, ad ambos Oratores Gallicos conuersus dixit, Synodum sedulò expensuram res ab illis propositas, atque in tempore responsum.

Dum hæc Suavis recenset, in multis peccat. Quare in Latina versione, illius amicus potius quàm interpretis, melius veritatem edoctus, aliquot ex eius erratis emendat. Sed tanti ponderis ad rei summam non sunt, vt velim aliter ea refellere, quàm ex diuersa mea narratione, cum lubeat mihi illud agere cum Suauis, quod in moderata Republica fieri solet, vbi lenia malefacta neque cuncta condonantur, neque cuncta vindicantur.

C A P V T I V.

*Gallorum alienatio à Simonetta. Varia inter Lotharingum & Gualterium colloquia. Sessio prorogata pro arbitrato, sed cum restrictione, vt certus dies intra dies octo denuntietur. Obitus Ioannis Baptiste Osijs Episcopi Reatini, Ioannis Cardinalis Medicei, & Frederici Comitis Borromæi, geniti ex sorore Pontificis. Discessus Oratoris Bauarici. Difficultas in componenda dissensione inter Oratores Gallie & Hispanie.*

**G**ualterius continuatâ cum Lotharingo consuetudine, illum comperit non modò conscium suspicionum<sup>a</sup>, quæ nunquam omnino disiectæ fuerant inter Legatos reliquos, & Simonettam, sed in hunc etiam animo malè affecto, affirmantemque, vti Simonettæ arcanos Pontificis sensus patere; atque hinc minui collegis animum, quòd se Romæ perstrictos animaduertent. Satis non esse Simonettæ, quòd in persuasione benevolentie erga Pontificem primas obtineret, nisi etiam contrariam de aliis persuasionem induceret: in quo tamen Lotharingus perperam doctus fuerat. Etenim in voluminibus litterarum Pontificiarum deprehenditur id temporis plenissima in Pio fiducia Mantuani, iuxta

Kk 3

ac

1562.  
c Litteræ Legatorum ad Borromæum, 19. Nouembris 1562.  
d 23. Nouemb 1562.

a Litteræ, & arcana notæ Gualterij ad Borromæum, 25. & 26. Nouembris 1562.

Historia  
Concilij Tridentini  
Lib. 19. Cap. 4.

1562. ac Simonetta. At verò cum Seripando ac Varmienti, quippe viris in schola magis quàm in negotio versatis, parcius ea communicabantur, quæ ad eorum doctrinam minùs pertinebant. Imò quod attinet ad Simonettam, vti metus è suspitione nascitur, comperio illum à Pontifice <sup>b</sup> reprehensum, quasi nimis in ipsum dominaretur timoris affectio, quâ virtus, ad egregiè agendum necessaria, debilitatur. Adiecit Gualterio Lotharingus, Romæ nimium fuisse gloriosos iuvenes quosdam, iuris Pontificij studiosos, qui rati prodesse Pontifici, eidem oberant, nunc Hispanos, nunc Gallos provocantes. Hic autem conquestus est de ingenti gaudio, quo huiusmodi homines gestierant ob rumorem paulò antè diffusum aduentus sui præpediti. Reuerà delati fuerant Mediolano <sup>c</sup> nuntij ad Simonettam, Abbates Gallos, à sancti Ambrosij Abbate hospitio exceptos, ita fuisse locutos de mente Lotharingi, ac de coniunctione eiusdem comitatus cum Hispanis Germanisque vt non parum enutrita fuerit præcedens ac nativa suspicio illius Legati, hominis non minùs facilis ad eam patefaciendam, quàm ad concipiendam, & quicum conueniebant ij ferè omnes, qui studium impensius præ se gerebant erga Pontificis auctoritatem; seu quòd qui amat timeret, seu quòd qui amorem ostentat, ad eius argumentum timorem ostentat. Conatus est Gualterius lenire Lotharingi stomachum exacerbatum in Simonettam, simulque cohortatus est Simonettam, vt illum inuiseret, seque in ipsius benevolentiam infinueret iis agendi rationibus, quas idem, vtpote Lotharingi conficius, suggestit.

Euenit Gualterio hæc agitanti, vt quasi aliorum suspiciones tamquam haud temerarias, sed communi famæ nixas excusaturus, certò cognosceret ex Lotharingo, falsà esse duo iam vulgata atque credita; ipsum scilicet moliri, vt res nationum numero sancirentur, quemadmodum Simonetta simul & Seripandus induxerant in animum ex iis quæ Lotharingus, vti narratum est, proposuerat; & apud eundem fuisse habitum cœtum Gallorum Præfulum, qui illic comprobassent sententiam, affirmantem Episcoporum iurisdictionem esse iuris Diuini: quòd vtrumque Suauis tamquam verum confidenter narrat. Resciuit quidem Gualterius, complures Gallorum in priuatis congressibus declarandum censuisse, iurisdictionem Episcoporum esse à Christo; sed nihil exprimendo, proximè ab illo, an per alium; dein verò celeriter progrediendum ad capita emendationis, quòd argumentum magis illis cordi erat ad Galliam componendam.

Valdè

<sup>b</sup> Arcanæ  
notæ Borromæi ad Simonettam,  
5. Decembr.  
1562.

<sup>c</sup> Litteræ, &  
arcanæ notæ Gualterij  
ad Borromæum 19 &  
23. Nouemb.  
1562.

3 Valdè tamen turbidum fuit huiusmodi colloquium, siue potiùs contentio, inter Lotharingum & Gualterium. Ille quidem acriter querebatur ob prauam de se opinionem, quam præ se ferebat Pontifex, & crebram exprobrationem beneficiorum, quæ idem sibi contulerat. Atque inter cetera retulit, quoties in cœtu super rebus Concilij Pontifex conquerebatur de iis, quæ aduersum se Cæsari suggerebantur, oculos ab eo conuerti ad Cardinalem Burdesium, ea quasi Lotharingo adscriberet. Ex altera parte Gualterius fidenter sui Principis opera defendebat. Cumque ipsi videretur Lotharingus elatiùs loqui, quòd hic sciret, non plenam coniunctionem id temporis inter Pontificem ac Regem Catholicum intercedere, illum monuit, quàm alteri procliue esset alterum sibi coniungere, sed iis modis, qui fortasse Gallis haud placerent; ipsorum tamen culpæ id tribuendum, si Pium ad id compellerent: quin nec minus graue ipsis futurum, si Pontifex amorem Regis Galliarum sibi comparasset, illius utique postulationibus indulgendo, quarum præcipua erat, facultas alienandi ingentem partem bonorum Ecclesiasticorum, quòd pecuniam impenderet bello in hugonottos; quòd à Pontifice denegatum antea fuerat per summam Gallicorum Præsulum commendationem, quippe qui animaduerebant, canalem hinc apertum iri, quo breuè Ecclesiæ patrimonium exhauriretur. Nec omisit Gualterius commemorare id, quòd legebatur exprobratum à quodam hæretico Germano Sorbonicis; eos nempe vitiosos esse dialecticos, dum reliquis Ecclesiæ Romanæ principiis consentientes, prærogatiuam Romani Pontificis supra Concilium euertebant, quæ legitimâ consecutione deducebatur.

4 Iam verò tametsi in congressu cum Gualterio, ob exercitam ab hoc agendi libertatem aliquid iracundius præ se gesserat Lotharingus; idem tamen postea Archiepiscopo Senonensi dixerat, velle se sinistras Pontificiorum persuasiones contrariis operibus obruere. Et huiusce voluntatis indicium aliquod<sup>d</sup> Legati iam conspiciantur, cum ipsis videretur in duobus argumentis, contentiois ac zelotypiæ plenis, de mansione ac iurisdictione Episcoporum, Lotharingus animum adiicere ad malaciam non procellam ciendam; vnde sperabant, Sessionem ante Natalitia Christi habitum iri: idque ab illis breuissimum quòd impetrari posset spatium censebatur, quandoquidem Patrum prolixitas in dicendis sententiis, præter adhibitam etiam Lotharingi gratiâ lentitudinem, non modò spem ademerat eius celebrandæ præscripto die vigesimo sexto Nouembris, sed etiam longi itineris conficiendi.

Die

*d* Litteræ Legatorum ad Borromæum, 26 Nouembris 1562.

Historiæ  
Concilij Trid.  
Cap. III.  
S. 17

1562.  
 Præter A-  
 rca Arcis  
 Elia, extat  
 in Diario,  
 24. & 25. &  
 in epist. Vi-  
 ceomitæ ad  
 Borromæum,  
 26. Nouem-  
 bris 1562.

Die vigesimo quarto Gaspar de Casale Episcopus Leriensis in-  
 tegrum in cœtu tempus solus consumpsit, cupidus vt à se Lotha-  
 ringus vniuersam agitatae controuersia seriem audiret. Is in hanc  
 sententiam ita disseruit: Episcopos Apostolorum esse successores,  
 non omnino & in omnibus, sed in ordinaria iurisdictione. Eos  
 igitur se habere ad Romanum Pontificem itidem ac Apostoli ad  
 Petrum antequam mitterentur: obstringi Diuinâ lege Pontificem  
 ad constituendos in Ecclesia Episcopos, nec ipsi licere Episcoporum  
 ordinem destruere, non tamen æquales esse Pontifici Episcopos, ne-  
 que separatim neque omnes coniunctim: eius siquidem potestas  
 aliorum potestatem moderatur, concurrat cum omnibus Episcopis  
 in eorum Diocesisibus, & in eas maius quàm ipsi ius obtinet: rem  
 quampiam duobus modis iuris Diuini esse posse, aut proximè, aut  
 alterius interpositu. Primos Episcopos, hoc est Apostolos, fuisse  
 proximè ab ipso Christo, reliquos omnes postea Episcopos accepisse  
 potestatem tum Ordinis tum iurisdictionis, præcipuè quidem  
 à Christo, sed per Romanum Pontificem, illius ministrum. Ete-  
 nim nisi Episcopus à Pontifice consecraretur, ab eoque gregem non  
 haberet, eum Christus vt Episcopum non agnosceret. Porro in  
 consecratione aliud à Deo solo impertiri, nimirum characterem,  
 aliud à Deo præcipuè, & à Pontifice tamquam instrumento, nimi-  
 rum iurisdictionem: Episcopo iam consecrato nihil nisi materiam  
 deesse ad eam iurisdictionem exercendam. Postremò improbauit  
 quod in Canone septimo dicebatur, institutum à Christo fuisse, vt  
 in Ecclesia essent Episcopi: id enim insinuabat opinionem Cardi-  
 nalis à Turrecremata, à Christo videlicet vnicum Episcopum in-  
 stitutum fuisse, hoc est Petrum. Potius dammandum esse eum, qui  
 diceret, Episcopos in Ecclesia Dei esse non debere.

Die postero tres solùm Patres auditi, ac postea à Seripando Sessio-  
 nis prorogatio proposita est. Cùm id à secundo peractum fuerit,  
 non à primo Legatorum, qui eo die abfuit, in causa fortasse fuit  
 id quod comperio in quodam scripto, misso Romam à Mantua-  
 no, de opportuna agendi ratione tum cum Lotharingo, tum inter  
 ipsos Legatos, vbi significabat ille inter cetera, se petuisse à colle-  
 gis, vt si quando opus foret argumenta proponere siue ad Theolo-  
 giam, siue ad Canones spectantia, aut de iis ex accidenti agendum  
 esset, dum sententiæ dicebantur, id à collegis perageretur, quam-  
 quam ipse primum locum teneret. Etenim in comperto satis erat,  
 eos illuc à Pontifice missos fuisse, vt Synodum eiusmodi doctrina-  
 rum peritiâ dirigerent, se verò (sic ille modestè loquebatur) solum  
 ad

f Signatur  
 9 Nouem-  
 bris 1562.  
 & compro-  
 batur plene  
 litteris Bor-  
 romæi,  
 18. Nouem-  
 bris 1562.

ad numerum augendum: addebatque, vbi illi repugnarent, curaturum se, vt idipsum illis à Pontifice imperaretur, aut à cœtibus se abfuturum, ne Synodi vtilitatem suâ præsentia præpediret. Idcirco eo die, quo agendum erat ex re proposita, sicuti videbimus, de ratione proferendi sententias in articulo Theologico, locum ille Seripando concessit.

1562.

7 Non longè aberat à Legatorum notitia, se à fama publica lacerari, tamquam artificiosè rem prorogantes, perinde quasi ipsi, & cum ipsis complures Episcopi, intentis animis declinarent à laborioso seueriorum emendationum freto, quò tandem ab illis nauigandum erat. Hæc autem persuasio, quæ plus minúsve publicis ministris adhæserat, dilatata postmodum, atque impressa fuerat, cum indignitate Concilij, in turba viliori. Quare vt homines imperitiores pronius feruntur ad concipienda figmenta in cunctis optimatum operibus; ita vel ipsi opifices deridebant conuentus illos quasi scenas, stultum reputantes, si quis crederet, ibi seridè rem geri, morasque non innecti, donec bonâ Principum pace suspensio confici posset. Ratus igitur Præses necessarium esse, à se suisque collegis tam nocentis exempli criminationem propulsari, cœpit dicere, Patres conqueri de Legatis ob Synodi prolixitatem; id non aliter à Legatis purgari posse, quàm regerendo querelas in ipsos Patres ob sententiarum prolixitatem, quæ verius prælectiones dici poterant: in ipsis prælectionibus vituperandam esse longitudinem, sed in cœtuum sententiis laudandam summoperè breuitatem. Quonam pacto ipsos conatuos orbis terrarum abusus eradere, nisi scirent hunc in ipsis abusum emendare prodigendi temporis, hoc est pretiosissimi inter thesauros, dum leues infructuosasque quæstiones prosequerentur? Omni studio desudandum, vt cunctis palàm fieret, in eo Concilio secundum Diuini Spiritus afflatum res agitari: esse quidem argumentum Apostoli: *Si inter vos lites & contentiones sunt, nõne secundum hominem proceditis?* His aliisque de causis decreuisse Præsides Sessionem protrahere; de die Patres cogitarent: sed nisi prius superuacanea in dicenda sententia re ipsa præciderentur, existimare Legatos, haud posse diem certam præstitui, quapropter proponebat eam Patrum arbitratu prorogandam.

Ex duabus litteris Oratoris Florentini ad Colmum Duccem, 19. & 21. Nouemb. 1562.

8 De dilatione inter cunctos conuenit; sed an ad incertam diem, plurimum sunt altercati. Lotharingus iis quæ proposita fuerant comprobatis, prolixas sententias improbauit, monuitque, si dies certa signaretur, discrimen subituram Synodum, ne infecta res ca-

Præter Acta, litteræ Oratoris Florentini ad Colmum Duccem, & Ladrensis, 26 Nouemb. 1562.

Pars III.

L I

deret,

Historia  
Concilij Tridentini  
Anno III.

1562. deret, adeoque cum iactura dignitatis; adhuc enim centum fortasse Patres sententiam dicturi supererant, & idcirco certo prænoſci non poſſe, quoniam die Sessio habenda eſſet. Aliis ea cunctatio abſque vlllo termino, & omnino arbitraria, non placebat. Columnius dixit, tametsi prolixitatis rei eſſent Præſules, non tamen inſontes eſſe Legatos, quorum partes fuiſſent, auctoritatem exercere, & ſuperuacanea præcidere, ex eſſato, *Sapienti pauca*. Tanta ſententiarum varietas audiebatur, vt ne diſcerni quidem poſſet quænam pars eſſet acceptior: & iam ſol occiderat. Propterea Seripandus auctor fuit, ac reliqui conſenſerunt, vt tunc prorogaretur Sessio ad incertum diem, ita tamen vt intra octo dies, quo tempore rebus multis conſuleretur, & plus lucis affulgeret, dies certus præſcriberetur.

i Varlæ litteræ Legatorum & Vicecomitis, præter Acta Paletotti.

k Epist. Legatorum ad Borromæum, 26. Nouembris 1562.

l Litteræ Borromæi ad Mantuanum; alia ad Legatos, 21. Nouembris, & alia Lauſaci ad Reginam, 28. Nouembris 1562.

Et sanè ea laborum diuturnitas ſub adedò inclemente cælo, præter alia quæ accedebant incommoda, nonnullorum Patrum valetudini imbecillæ ac ſenili intolerabilis accidebat. Diem obierat id temporis<sup>i</sup> Spoleti, dum ex morbo profectus Tridento ſuam ad Eccleſiam remigrabat, Ioannes Baptiſta Oſius Romanus, Episcopus Reatinus, vir doctus religioniſque ſtudioſus, ſed ſententiæ ſuæ tenax, vitium in conuentibus quàm moleſtum, quippe argumentum animi alios parui æſtimantis, tam noxium, quippe concordie impedimentum. Legati Caſtaneam Archiepiſcopum Roſſanenſem, vt ad eam promoueretur Eccleſiam, Pio commendarant; ſed Pontifex Amulio Cardinali eam deſpondit<sup>k</sup>, quod illi plurimum collaudarunt, niſi quantum Amulij promeritis nimis impar ea remuneratio videbatur.

Per eos pariter dies, nuntios Tridentum detulit idem tabellarius, duorum capitum magis adſpectabilium vitam exaruiſſe ſub ipſo flore: alteram Romæ<sup>l</sup> 20. Nouembris in Frederico Borromæo Cardinalis fratre, & Ducis Vrbinatium genero, & in quo Pontifex, eius matris frater, ſpem altiffimam iucundiſſimamque ſecundum ſanguinem collocarat, vnde per acerbiffimæ triſtitiæ ſenſum indoluit; quin animi ægritudo manuit in corpus, & morbo, tametsi leui breuique, ipſum affecit, pro ac vſuuenit, vt mœror ex aliena morte numquam mortalis euadat. Verùm Carolo Frederici fratris hoc infortunium ſalubrius accidit, ſiquidem palàm ipſi fecit inanitatem molitionum dignitatumque mortalium, quæ nec auditu, nec viſu ſatis vniquam agnoſcitur, niſi domi contrectetur. Seceſſit idcirco ad meditando ſacra exercitia S. Ignatij in Probationis domo Societatis Ieſu, ibique ea lumina affectioneſque ſanctimonie perpur-

perpurgavit, quæ Deus vsque à pueritia eius animo infuderat, quæque postea vnum è sanctissimis viris, quos veneratur Christianus orbis, ipsum reddiderunt. 1562.

10 Alterius vita, æquè conspicua & acerba, Pisis extincta fuerat 25. Nouembris<sup>m</sup> in Ioanne Cardinali Mediceo, Cosmi Ducis filio, Principe de nostra Synodo optimè merito. In decimum-octauum ætatis annum ea incidit; & murmur exitit, id violenter contigisse<sup>n</sup>. Verùm Orator Lansacus, cui verisimile est minimè defuisse notitiam euentus, suapte naturâ non occultissimi, scripsit ad Reginam<sup>o</sup>, Cardinalem obiisse post quartum pestilentis febris diem; quamobrem credibile videtur, violentiam modò indicatam vnâ fuisse ex illis tragædiis, quarum Poëtria fama est, consueta horribilium ac stupendorum inuentrix.

11 Interim qui Concilio splendorem afferebant, vti solent locupletiores vestes, æquè onus addebant. Reddita hisce diebus sunt Oratori Bauarico sui Ducis responsa, acriter indignati<sup>p</sup>, quòd Præsides reuocassent in controuersiam locum superiorem inter ipsius & Heluetiorum Oratorem, adeò vt illi discessum imperaret. Studuerunt Præsides Oratorem detinere; ad quod etiam obtinendum Drafcouizio vti sunt, oblatâ Bauarico hac prærogatiuâ, vt ipse cœtibus intereretur, & Heluetius domi maneret. Sed illi satis non erat obtenta sine decreto possessio, adeò vt noluerit idem in publicum prodire eo solemnî die, quo Lotharingus exceptus est, quandoquidem ea declaratio non præcesserat. Legatis verò visum non est tam duriter agere cum Heluetio; quin postremis in mandatis Româ acceptis habebatur<sup>q</sup>, vt cum ad Bauariæ Ducem, & ad Nuntium Lucernæ degentem de concordia scriptum fuisset, tantisper dum Pontifex operiretur responsa, neuter ex his Oratoribus ad cœtus accederet non vocatus: qui verò his non acquiesceret, aliam pro suo arbitratu rationem iniret. Quare cum à Legatis obtineri non posset vt Bauaricus subsisteret, plurimum à se præstitum existimarunt, quòd Dux ob permissum Oratori discessum haud indignaretur. Vix ille Tridento abierat, cum ab Heluetiis litteræ superuenerent, quibus satis sibi fore scribebant, si modò vnus, modò alter publicis functionibus interesset.

12 Verùm vti ex icu ponderosiorum vastiorumque molium oritur in aspectantibus grauiorum cladum terror; ita altera æmulatio sublimiorum Principum longè vehementius Præsidium animos concutiebat. Monuerat eos Pontifex<sup>r</sup>, aduenturum Lunensẽm Comitẽ,

L I 2

alio die duabus, vitimo Nouembris 1562. altera Legatorum ad Bortomaxum, altera Lansaci ad lasulanum,

<sup>m</sup> Diarium, 29 Nouembris 1562.

<sup>n</sup> Diarium Francisci Firmiani, cæremoniarum Magistri Romæ, 23 Nouembris 1562, qui narrationem: ff e t Fidelis actoris Veneti Florentiæ.

<sup>o</sup> In epistola iam citata, 28. Nouemb.

<sup>p</sup> Duæ litteræ Vicecomitis, 20. & 24. Nouemb. & infius in epist. Legatorum ad Bortom. ultimo Nouembris 1562.

<sup>q</sup> Litteræ Bortomæi ad Legatos, 29 Octobris 1562.

<sup>r</sup> In epist. Bortomæi ad Legatos, 12 Nouembris; & in lasulanum,

Historia  
Concilij Tridentini  
Pars III.  
LII

1562. mitem, tamquam Oratorem solius Regis Catholici, non item simul Cæsaris, sicuti antea vocitatum fuerat; siue id fieret ob significationem molestiæ, quam prænantiarant Galli, quibuscum concorditer se gerere in Concilio Cæsar cupiebat, cum in eo utilitatum coniunctio, sanguinum coniunctioni præposset, siue quia aduersa commoda Hispanos inter & Germanos nequaquam vni eidemque permitterent Oratorem agere pro aduersis vtriusque Principis postulatis. Philippus itaque Rex petebat, vt accommodata iniretur ratio, quâ Oratori suo liceret Synodo assistere, saluâ simul dignitate & concordia: & hac de causâ Lunensis antequam discederet exquirebat quânam ratione habendus esset, ne se Regemque Catholicum exponeret periculo offensionis apud Regem Christianissimum, Pontificem, & Concilium. Legatis igitur iniunxit Pontifex efficaciam quâ potuit maximam, & supra quam in quouis alio negotio eam adhibuisset, vt omne studium ac sollicitudinem impenderent ad rem conficiendam, haud ignarus, consensum atque auxilium vtriusque Regis opus esse Concilij progressibus, itidem ac duos pedes duasve rotas hominis ambulationi, currusque lationi. Simul etiam eos commonebat, vt cum immineret, sicut ipse rebatur, Sessionis dies, rem dissimularent cum Lansaco, ne commouerentur animi, tranquillisque Sessionis exitus impediretur. Etenim ne minimum quidquam stabiliri volebat, nisi flexis ad id Gallis, quibus intelligebat quodcumque temperamentum nulli detrimento futurum, aut possessione aut iure spectato; sciebat tamen, tam delicati sensus in ea re illos esse, vt vel ipsâ propositione concordia læderentur.

f Litteræ  
Borromæi ad  
Mantuanum,  
21 Nouemb.  
1562.

Præter hæc, quæ Legatis in communi Pontifex significabat, alia arcana fidei Mantuano ab eodem commissa sunt, nec alteri præter Simonettam communicanda. Ea erant: Sibi ab Oratore Vargas per occultissimum arcanum Regis nomine fuisse expositum, vbi nulla ex propositis opinionibus admitteretur, malle Regem, vt ipse Orator cuiuslibet minimo ex Concilio cederet, quam opus illud sanctissimum obturbaretur, præmissâ tamen denuntiatione, nihil inde detrimenti sibi illatum iri, tum quod ad præcipuam questionem, tum quod ad possessionem attinebat. Ad cuius rei silentium, etiam cum Legatis, obstrinxit Pontifex Vargas, ne illius notitia minus solertes eos redderet in alio temperamento Regi magis honorifico procurando. Verumtamen Pontifex censuit opportunum, eam notitiam cum illis duobus communicare, qui rem agendam moderabantur. Siquidem ex vna parte certum ipsierat, eos

tum ex animi propensione erga Regem Hispaniæ, tum ob ardentissima mandata, omnem moturos lapidem, quo aliquam ad concordiam Gallos pertraherent: ex altera verò nolebat, ut ubi illi animaduertent rem confici non posse, in desperationem caderent de pacifico Synodi processu, ut proinde aut in reliquum studia tamquam inutilia præmitterent, aut in eo negotio præcipitia tamquam necessaria pertentarent.

13 His acceptis mandatis, cum Legati considerarent, Sessionis diem ita proximum non instare, ut Pontifex sibi persuaserat, existimarent, locum non esse silentio cum Oratoribus Gallicis, ante eam functionem sibi imperato. Quapropter illis ad se accitis ostenderunt, quantum in rem foret non Ecclesiæ modò, sed Galliæ, si Synodus, eo regno postulante potissimum coacta, feliciter progrediretur; & quantum opus esset ad progressus felicitatem vtriusque regni Oratoribus: ubi Synodus ab altero desereretur, tantum vigoris illi defuturum, ut ne ad alterius quidem bonum efficaciter prosequendum sufficeret. Idcirco animum conuerterent non solum ut probi ciues Orbis Christiani, cuiusmodi se profiteri oportebat, sed tamquam probi Galliæ filij, probique Christianissimi Regis administrati, ad inuendam aliquam concordie rationem, per quam saluam Galliæ Regis dignitate, alteri Regi illius affini satisfaceret. Post huiusmodi exordium duas rationes proposuerunt, quarum vtraque locum proximum infra Oratorem Cæsareum laicum Gallis concedebat, videlicet, ut Lunensis subsellium haberet in medio è regione Legatorum, quale Iulij III. ætate datum fuerat Oratori Lusitano in controuersia cum Oratore Ferdinandi tamquam Hungariæ Regis; aut ut Lunensis consideret inter Oratores Ecclesiasticos infra Cæsareum.

14 Responderunt Galli: Quemadmodum omnis offensio originem trahere consueuerat ab aliqua nouitate, æquiore facilioremque rationem ad retinendam concordiam esse veteris consuetudinis continuationem. Id se habere in mandatis Regis Christianissimi, ipsos iubentis, si quid innouaretur, extemplò cum omnibus Galliæ Episcopis discedere. Huiusmodi mutationes tentari ab affectionibus aut inquietis aut ambitiosis ministrorum, non autem ex Regis Catholici sensu, qui tam ampla amicitie fraternæque beneuolentia pignora dederat, ac indies dabat Galliæ Regi, vxoris fratri, ut abundè palam faceret animi propensionem longè aliam ab ea, quàm vellet vel vnum obolum detrahere antiquis illius prærogatiuis, præsertim ætate puerili: certos esse Oratores, potius ad eas facta

Historia  
Concilij Tridentini  
Liber III.

1562. tecta seruandas impensum iri à Philippo Rege suas omnes vires, perinde ac illas reipsâ impendebat ad tuendam Carolo Regi auctoritatem aduersus perduelles: numquam Gallicanum regnum omnino alacri futurum animo, donec tam ingentibus Hispaniæ beneficiis par tandem redderet; sed cum grati animi ratio, quæ inter honestissimas virtutes locum obtinet, nequaquam præcipiat ut per ipsius exercitationem honor lædatur, id pretio regiæ dignitatis præstandum non esse.

Conatus est Mantuanus Gallos flectere, illis obiectans: Quando ipsi suum locum retinerent, alienæ gratificationi obsistendum non esse; quod si secus agerent, posse inde argui, non inesse eam optimam in ipsis voluntatem erga prosperum Synodi processum, quam profitebantur. Sed illi ex aduerso, alienam gratificationem sibi charam fore, quoties sui Principis honorificentiam non officeret: ea cuncta consilia ab Hispanis excogitari, quod reuocaretur in dubium id quod Regis Christianissimi dignitas in aperto esse postulabat; nimirum, primum sibi locum post Cæsarem deberi: nec posse aduersæ Concilio voluntati tribui, quod nollent veterem possessionem amittere, consuetudinemque peruertere.

Tunc subiecit Mantuanus, arcani conscius, cupidusque rationem inire quæ minus Philippo Regi displiceret, quam si post & infra Gallos ipsius Orator collocaretur: Quid si Orator Hispanicus sibi sedem post cunctos Oratores deligeret, num vobis animus esset ad eum cogendum ut meliorem quam ipse vellet locum caperet? Improvisæ interrogationi responsum à Gallis est, in eo casu rem se expensuros. Legati huic postremo consilio minimè se obstringentes, finem colloquio imposuere, rogatis vniuersè Oratoribus, ut sedatiùs deliberarent. Interposuerunt etiam Gualterij officia cum Lotharingo, qui hinc auctoritatis plurimum apud ministros Gallicos obtinebat, hinc credebatur coniunctionem cum Hispano exoptare, tum propter belli prosperitatem in hugonottos, quæ ipsius ac fratrum plurimi referebat, tum propter Synodi quietem, cuius perturbatio dignitatem felicitatemque operæ suæ detra-xisset. Sed responsum tandem est: Oratoribus non licere, mandata persistendi in consuetis præterire: noua temperamenta Regio Concilio in Gallia esse proponenda: cumque ea de re Lansacus Romanam scriberet ad Gallicum Oratorem, præ se tulit simul immobilem in eo negotio animi firmitatem, simul propensionem honorandi Lunensem in cunctis reliquis exactissimâ quaque officiorum ratione; sed eo honoris genere, quod nihil honoranti subtraheret. Et

Et quoniam aduenerat Romam missus à Rege Catholico Aloysius 1562. Auila<sup>s</sup>, quibusdam in mentem inciderat, ab eo curatum iri, vt Pontifex impertiret Philippo appellationem Imperatoris Indiarum, tamquam splendidum titulum ad illius litoris victoriam. Scripsit Lanfacus, nihil id allaturum detrimenti prærogatiuæ sui Principis, Galliarum siquidem Imperatorem, qui superiorem sibi in terris neminem agnoscebat, & cuius maiores Imperium in Occidente condiderant, numquam in Europa nouo Indiarum Imperatori cessurum: præterquam quòd fama erat, à Leone X. cum Bononiæ cum Francisco Primo conuenit, fuisse illi eiusque successoribus subditum ius Imperij Constantinopolitani: sed verisimilia non videri in prudenti ac virtutis studio Philippi animo ea consilia, per quæ ipsius amplitudini nihil accessisset.

1562.  
Litteræ Lanfaci ad Infulanum, 18. Nouemb. 1562.

17 Pontifex auditâ Gallorum duritiæ, rescripsit<sup>u</sup>, eam haud inopinatum sibi accidisse: se quidem voluisse tabellarium illum mittere, potius quòd sibi aliisque satisfaceret, extrema quæque periclitatus, quàm ob vllam spem rei consequendæ: aliud sibi scribendum ad Legatos non occurrere, nisi velle se, vt contestationes, si quas ministri Hispanienses facerent, ab ipsis admitterentur: ceterum sibi certò persuaderi, Regem Catholicum pro sua probitate ac religione suas omnes priuatas rationes posthabiturum bono publico, cui nollet ab huiusmodi inaniis obiecem opponi.

Litteræ Borromæi ad Legatos in communi, & ad Mantuanum, 5. Decembris 1562.

Enimuerò mirum foret id re ipsa contingere inter cordatos viros, nisi tam sæpè contingeret, cum ad diluendam admirationem magis valeat consuetudo, quàm ratio.

C A P V T V.

*Lotharingi sensus: adhibita Hispanis officia Molinei Senatoris. Perturbatio in cœtu, Episcoporum Guadicensis & Aliphensis causâ. Rex Bohemiæ Romanorum Rex renuntiatus. Regis Nauarræ obitus.*

**D**Abatur interim ardentè opera propriis Synodi argumentis<sup>a</sup>. Lotharingus antequam verba faceret de Canone in controversiam adducto, aiebat, velle se cunctos Episcopos præter suos audire, singulorumque sententias diligenter obseruare. Vnde oriebatur opinio, illi esse in animo, se quasi arbitrum Concilij gerere, adeoque sententiæ suæ dictionem differre, donec certus esset, mentis suæ declarationem vim quasi decisionis habituram.

Habetur præsertim in scripto Vicecomitis ad Borromæum, vltimo Nouemb. 1562.

Atque

Historiæ  
Concilij Tridentini  
Lib. 19. Cap. 4.  
1562.